1184. b 1
3

TENTAMEN MEDICUM INAUGURALE,

DE

VARIOLIS.

QUOD,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

GULIELMI ROBERTSON, S. S. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,

Et nobilissimae FACULTATIS MEDICÆ decreto,

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit

THOMAS WRIGHT, K

ANGLUS.

———*Nimium ne crede colori.* VIRG.

Prid. Id. Septemb. hora locoque solitis.

EDINBURGI:

Apud BALFOUR, AULD, et SMELLIE,

Academiae Typographos.

M,DCC,LXIX.

BRITISH MUSEUM

43.
10. 10.
438.

PATRI SUO OPTIMO,

THOMÆ WRIGHT,

CHIRURGO EXPERTISSIMO,

ET

IN ARTE MEDENDI MULTUM VERSATO;

CUJUS CONSILIO, INDULGENTIÆ, ET AMICITIÆ,

OMNIA DEBET:

NEC NON

ALEXANDRO MONRO, M. D.

ANATOMES ET CHIRURGIÆ

PROFESSORI CELEBERRIMO,

OMNI ERUDITIONE INSIGNI:

HAS STUDIORUM PRIMITIAS

D. D. D. C. Q.

THOMAS WRIGHT.

TO

THOMAS WRIGHT,

SURGEON EXPERIENCED,

AT

IN ALLEVIANDO MULTUM VERSATO;

CUJUS CONSILIO, INDULGENTIA, ET AMICITIA,

OMNIA DEBET,

THIS

ALEXANDRO MONRO, M.D.

ANATOMIAE ET CHIRURGIAE

PROFESSORIS CELEBERRIMO,

OMNI FRUDITIONE OBSIGNIS;

HAS STUDIORUM PRIMITIAS

D.D.D.Q.

THOMAS WRIGHT.

TENTAMEN MEDICUM
INAUGURALE,
DE
VARIOLIS.

QUUM legibus hujus academiae nemo ſummos medicinae honores attingit, priuſquam aliquod ſpecimen peritiae dederit; ego, lauream Apollinarem petens, ad pauca de variolis dicenda, me accingo. Morbus pulchritudini tam inimicus, ut foeminas, forma deis aemulas, ſaepe facie fere divina ſpoliat, Orco vix evitato, et viſu horrendas reddit. Neque viris parcit. Quantam laudem illi meruerunt, qui hunc hoſtem vicerunt, vel vires ejus nocivas fregerunt! quod inſitione factum eſt;

ſed de ea, variiſque perficiendi modis, prorſus ab incepto alienum dicere; quia ab hominibus in re medica optime verſatis tractata eſt, viz. DIMSDALE, BAKER, GLASS, cum multis aliis: Itaque de morbo non arte adhibito, ſed caſu contracto, dicam, et ſpecies diverſas ab auctoribus numeratas, haud ex materie varioloſa ſpecifice diverſa pendere, ſed ex ſtatu corporis aegroti, vel potentiis nocentibus, materiae varioloſae alienis, oſtendere conabor. Et haec etiam opinio clariſſimi SYDENHAM eſſe videtur, qui, de variolis regularibus loquens, haec habet verba: "Duplex eſt harum ſpecies (ut et variolarum quae quibuſlibet annis infeſtant), vel diſtinctae ſunt vel confluentes; quae, licet eſſentialiter, ut aiunt, non differunt, per illuſtriora ſymptomata quae hanc comitantur ſpeciem, illam vero non item, haud difficulter ab invicem diſcriminantur *."

* Syd. p. 122.

AN

An morbus Graecis medicis fuerit cognitus, argumenta haud proferam; quoniam medici nunc conſentiunt, illos eum omnino ignoraſſe. Doctiſſimus Friend, in ſua Medicinae Hiſtoria, oſtendit, primum Saracenos, et deinde Arabes, et poſt illos Africanos, totamque pene Aſiam et Europam, occupaſſe; et materie deportata etiam in Americam ex Europa, commercio regionis unius cum altera. Neque hoc mirum; nam videmus contagiones longe deportari, et peſtes in Europam iterum iterumque hoc modo advectas, uti Mead aliique qui de ea re dixerunt, docent: Atque Pringle, in tractatu de Exercituum Morbis, febrem malignam inter milites in Scotiam afferri ab hominibus e carcere nuper ablatis, oſtendit. Nam contagiones veſtimentis, ſupellectili, et variis mercimoniis, dum ſarcinis continentur, ſine ullo incommodo diu haerere poſſunt; ſed quam primum faſces ſint reſolutae, tanto cum impetu ſaepe adoriuntur, ut operarium ſubito e medio

medio tollant: Ex hoc fortaſſe accidit, quod ſaepe regiones proximae ſint immunes, dum aliae longo intervallo diſſitae morbo captae ſunt.

SAUVAGES his verbis morbum definivit: "Variola eſt genus phlegmaſiae "exanthematicae, ſaepius epidemicae, cu-"jus eruptio in puſtulis phlegmonodeis "ad ſuppurationem tendentibus, piſi "magnitudinem demum aequantibus, "conſiſtit *".

HAC in definitione ad diſcretas tantum reſpicere videtur; nam in confluentibus, puſtulae non tantum magnitudinem piſi ſuperant, ſed ſaepe totam faciem, vel portionem corporis magnam, veluti puſtula una tegunt, et magis morbo convenire mihi videtur definitio quae ſequitur.

VARIOLA eſt genus phlegmaſiae exanthematicae, ſaepius epidemicae, cujus eruptio in puſtulis phlegmonodeis cutaneis, modo diſtinctis, modo inter ſe cohaerentibus,

* Noſ. Meth.

haerentibus, ad ſuppurationem tendentibus, conſiſtit.

MORBI HISTORIA.

In morbi hiſtoria tradenda, methodum Sydenhami ſequor; quia hocce modo ſymptomata facilius colligam; Hic ſedulus naturae obſervator in ſpecies regulares et irregulares, ſeu anomalas, morbum diviſit; priores quarum febris inflammatoriae, poſteriores lentae, vel putredinoſae, ſymptomata comitantur.

Oculorum ſplendor, hilaritas diminuta, anxietas levis, ſtupor, ſomnolentia, per tres vel quatuor dies morbum praecedunt; deinde ſequuntur horrores et rigores, nauſea, vomitus, in adultis ingens in ſudores propenſio, dolores capitis et dorſi ad ſcrobiculum cordis, arteriarum temporum pulſatio, delirium, dolores in latere, regione abdominis, artubus, cum pulſu pleno vel duro, quaſi

aeger

aeger pleuritide, nephritide, vel rheumatiſmo laboret *; et ſanguis cruſtam, inflammatoriam dictam, oſtendit, urina ſedimentum, antequam erumpunt, deponit.

Pustulae ad tertium, quartum, vel quintum diem erumpunt, ad tertium plerumque in confluentibus, ſed aliquando ſerius ob doloris ſaevitiam †. Primo pulicum morſibus ſunt ſimiles ‡, faciem et etiam collum et pectus occupantes, et deinde totum corpus, quae dolent tumentque; fauces aliquando inflammatione afficiuntur; et febris, ubi diſtinctae ſunt, ceſſat, et, ubi confluentes, plerumque remittit. In confluentibus, cutis per totam faciem ſurgere videtur ‖.

Sexto circiter die, eruptione finita, os tenui ſaliva ſemper in confluentibus, et ſaepe in diſtinctis, ubi puſtularum numerus eſt magnus, ſcatet, et ad veram ſa-

* Syden. p. 126. † Ibid.

‡ Tiſſot. avis au peuple, vol. 1. p. 164.

‖ Syden.

livationem

livationem augetur: In infantibus, diarrhoea ſalivationis officiis fungitur, et palpebrae aliquando adeo tument ut aegrotum viſu orbent; puſtularum interſtitia rubeſcunt.

PUSTULAE, ſuam magnitudinem adeptae, pure implentur ordine quo primo apparuerunt, magis magiſque dolent fauces, urina nonnunquam ſanguinolenta, et totum corpus ita fit moleſtum, ut prae dolore vix cubitus ſomnuſve; et quo magis confluunt, eo magis accenditur febris. Febre ingraveſcente, dira nonnunquam adveniunt ſymptomata, ut pulmonum aliorumque viſcerum inflammatio et defluxus viſcidus, narium infarctio, ſuffocationem minitantur; et quanto atrociores fuerunt variolae, puſtulae matureſcentes colorem ſubfuſcum induunt; gradatim faciei tumor et ſalivae fluxus diminuuntur, et circiter diem undecimum areſcunt deciduntque puſtulae, et ab hoc ad ſeptimum decimum ex morbo fere convaleſcit aeger.

SQUAMULAE

SQUAMULAE furfuraceae puſtulis ſuccedunt, quas aliquando excipiunt foveae cutis, et mirum in modum vultum turpant *.

DE VARIOLIS ANOMALIS.

IN variolis anomalis ingens virium proſtratio, vomitus, cutis arida, impetum oſtendunt; carotides pulſant, oculi ſunt vividi, dolent caput et lumbi ſaepe citra delirium ac ſoporem; eruptione finita, quae aliquando ad ſecundum diem fit †, remiſſio febris eſt parva, ſed cito recurrit, anxietate, ſiti ingenti, levi delirio, comate, pulſu parvo et frequente; et vis functionum multum imminuta; ſtilla cruenta ex naribus oculiſque, et ſudor copioſus, fluit.

PUSTULARUM interſtitia nonnunquam bullis aquae vel etiam petechiis ſcatent ‡, et puſtulae aliquando ſanguinem nigrum fundo

* Sydenh. † Helvetius de oeconom. animal. ‡ Morton, vol. 3. p. 60.

fundo gangraenoſo effundunt. Urina materiem nigreſcentem deponit, et omnia putredinis indicia apparent; nonnunquam etiam haud pure ſed ſero limpido turgent puſtulae, et varie inter ſe cohaerent *; puſtularum fundus circuluſque ambiens ſunt pallidi, et ab undecimo ad diem decimum ſeptimum aeger vel morbo ſurgit, vel viſit ſuperos.

Tussis varia morbi ſtadia comitatur, phthiſis, tabes, ulcera foeda, ophthalmia, aliquando poſt morbum manent, et nonnunquam etiam poſt morbum levantur†.

DIAGNOSIS.

Facile eſt variolas ab omnibus fere aliis morbis diſtinguere, poſteaquam puſtulae magnitudinem ſuam adeptae ſunt; at, antea quam erumpunt, vel inter erumpendum, ſaepe perdifficile eſt, et peritiſſimi hoc in ſtudio nonnunquam errrant; nam

* Helvetius. † Home principia med. 173.

nunc morbillorum nunc eryſipelatis ritu erumpunt *.

PRIMUM quod variolas inſtare monſtrat, eſt, ſi epidemice graſſantur ſymptomatibus antea enumeratis ſupervenientibus; ſtupor et ſomnolentia ſunt ſigna futuri morbi; et, ſi infantes plus ſolito torpidi ſunt, variolas adeſſe dicas †.

TUSSIS ſtillicidium humoris ex oculis et naribus, quae eruptionem morbillorum praecedunt, et maculae quae vix ſupra cutem ſurgunt, et ad deſquamationem furfuraceam vergunt, morbillorum eruptionis plerumque notam ſatis certam tribuunt. Eryſipelas in majores areas pollicares ſubtumidas ſeſe diffundit.

ETSI ad eruptionem in diagnoſi inter illas aliaſque eruptiones exanthematicas difficultas occurrit, tamen, procedente morbo, vix aliquis falli poteſt; nam aliae haud in puſtulis ita prominentibus ſurgunt; neque materia purulenta implentur, nec ad ſuppurationem febris aeque ac in variolis accenditur.

PROGNOSIS.

* Sydenh. 127. † Boerh. p. m. vol. 5. p. 301.

PROGNOSIS.

Ubi in morbi ingreſſu febris cum delirio, pulſuque pleno et duro, aliiſque inflammationis ſignis, ſupervenit, numerus puſtularum plerumque eſt magnus, et ſaepe confluunt; et quo major numerus in facie, eo plus periculi. Sed in infantibus, ubi convulſiones morbum praecedunt, dentitione facta, morbus plerumque eſt boni moris, et puſtulae raro confluunt *.

Si febris poſt eruptionem ceſſat vel remittit, et puſtulae pure coloris ſubalbidi implentur et turgent, baſeſve rubeſcunt, et poſt febrem ſuppuratoriam gradatim detumeſcunt facies, manus, pedeſque in ordine, et copia ſalivae diminuitur, et urina colorem proprium et ſedimentum habet, res eſt in vado. E contra, ſi delirium vel coma manet, et puſtulae

* Syden. P. 122.

ſtulae vel interſtitia pallent vel ſubito recedunt, et materies illis incluſa eſt tenuis et ſubflava; ſi ptyaliſmus omnino ſiſtit, et urina fit limpida et magna in copia, multum aegroto metuendum eſt; nam floccorum collectio tendinumque ſubſultus ſuperveniunt, et mortis inſtantis ſunt nuncii.

In anomalis, animi dejectiones, petechiae, vel puſtulae nigrae vel nigricantes, cum ſiti ingente et delirio vel comate poſt eruptionem manente, cum convulſionibus, periculum oſtendunt. Si urina ſedimentum fuſcum praebeat, alvuſque aegro inſciente dejicitur, actum eſt; ſed, ſi puſtulae petechiaeque ad colorem roſaceum vergunt, animi dejectiones et coma vel delirium puſtulis erumpentibus levantur, urinaque ſedimentum proprium deponit, ſpes eſt ſalutis. Plerumque ubi in faeminis menſes adſunt, bonum eſt omen.

Si diarrhoea alvo ſtipatae ſubito ſupervenit, periculum adfert; aliter non; lingua

cruſta

cruſta fuſca obducta eſt digna carbone notanda. Mulieres gravidae ſaepiſſime abortum faciunt, et raro convaleſcunt.

ANTEQUAM cauſas quae ſpeciebus diverſis variolarum anſam praebent enumeremus, neceſſe erit pauca de contagionibus dicere, quarum definitio eſt, Materies quae in corpus recepta parva in copia, tamen eſt praedita poteſtate partem fluidorum aſſimilandi, et molem ſuam augendi. ſatis ad commotiones et morbos ſaepe periculoſiſſimos ciendos.

COMMOTIONES quae ex illis oriuntur ex vi ſtimulatrice, ſedativa, vel ſeptica, originem ducunt; ſed numerus major ex duabus prioribus, ut notat GAUBIUS, qui dicit, " longe plurima tamen, eademque pernicioſiſſima, ipſum vitale principium invadunt, hujus motus aut irritatione violenta perturbando, aut vehementiſſime incitando, aut injecto torpore ſuſpendendo, functiones vitae peſſundant *."

* Inſtit. Path. § 492.

Sed

Sed quoque varie inter ſe connectuntur, praeſertim ſedativa et ſeptica; nam raro accidit quin morbus, ad putredinem vergens, debilitatis ſymptomatibus ſtipetur, antequam ulla adſit putredinis nota, uti in febre carcerum haud raro accidit: Et ſtimulus quoque illis conjungi ſolet; nam febres tam lenta quam maligna ſaepe ſignis inflammatoriis tanto cum impetu adoriuntur, uti ſcalpello chirurgico, ad effectus lethales affectuum topicorum prohibendos, opus ſit; et hoc fit fortaſſe quia copia haud ſatis magna ad ſedativos vel ſepticos effectus exiſtit.

Corporis ſtatus, vel coeli temperies, modum adhibere pollent.

Quod ad primum attinet, homines juventute ſummaque valetudine gaudentes, ſtatuſque quorum corporis eſt validus et robuſtus, minus ſeptica vel ſedativa poteſtate, quam aevo provectiore vel habitu huic diverſo, afficiuntur; et, ſi quis morbis qui oriuntur a potentiis horum generum laboret, tamen initium plerumque

fit

ſit ab inflammationis ſignis: Ratio cujus fortaſſe ſit, quod, in juventute et robuſtis, arteriae magis ſanguine turgent et tenduntur, quod nervorum extremitates actioni ullius materiae noxiae ſenſiliores reddit, et inde reactio ſentorii ſit, vel conamen naturae ad has cauſas propulſandas; et hoc ex fonte ſymptomata violenta inflammatoria, quae in morbis epidemicis malignis obſervantur, deveniunt. Eis in habitibus nonnunquam motus ad expulſionem materiae morbificae, antequam putredinem induxerit, ſatis valent; e contra, ubi habitus eſt laxior, arteriae haud exquiſite ſanguine implentur, minus eſt corpus ſtimulis obnoxium; itaque aliquod fermentum exceptum nec commotiones neque ſenſationes moleſtas tam cito ciet, ſed accumulat magna in copia, et motus corporis, torpore injecto, ſiſtit, vel fluida ad putredinem diſponit.

SENSATIONEM ratione tenſionis augeri, oculorum tunica, retina, membrana Schneideriana, et inteſtina oſtendunt, quibus

quibus arteriae numeroſae ſerpunt, et convolvuntur, et ſi forte inflammatione ſint correptae (ubi tenſio eſt aucta) ſenſatio multum augetur; et materies, quas in ſtatu ſano facile ferre potuerunt, nunc dolores ſaeviſſimos motuſque enormes creant. Idem fit multis in corporis partibus quae ſenſu pene in ſanitate carent.

TIMOR debilitatem in corpore facit; ut etiam humiditas, ſed multo pejus, ſi frigore conjuncta, quod ad ſpaſmos inducendos multum valet. GAUBIUS de timore ait: " Terror prae caeteris perniciosus, ſyſtema nerveum violentiſſime quaſſando, ſpaſmos, convulſiones, epilepſiam, ſtuporem, imaginationem depravatam, inducit", &c. § 543.

QUICUNQUE haec igitur conſideraverit, videbit corporis ſtatum multum in morbis epidemicis valere; ſed quoque vis contagionis, non ſolum ex hoc, ſed aliquam poteſtatem capit, ex coeli temperie; tametſi ſtatum corporis antea enumeratum inducere tendit, viz. (aër calidus,

morbis

morbis malignis, frigidus, inflammatoriis viam ſternit, prior ſyſtema relaxando, poſterior robur addendo, tamen vires venenoſas mirifice auget, vel diminuit. Et aliquando adeo auget, ut ſubito quaſi fulminis ictu trucidet, uti patet ex MEAD, DIEMERBROECK, PRINGLE, HUXHAM, et omnibus qui de morbis epidemice graſſantibus ſcripſerunt; nam hyeme incipiente, multo mitiores, aeſtate vero ſaeviores, eſſe conſentiunt. Etiam quo frigidior hyems vel calidior aeſtas, eo lenior vel gravior devenit morbus. Contagiones etiam aliae aliis conjungi ſolent.

DE ERUPTIONE.

ERUPTIO ex materia morbifica ſub cute depoſita ortum ducere videtur; et hoc in loco, de cauſis quae huic diſpoſitioni favent vel averſantur, inquirendum eſt.

CAUSÆ quae favent, vel ex cuticula ipſa, vel ex ſudore nimis ſubito effuſa, vel ullo modo retenta, oriri poſſunt.

Quibus cuticula eſt denſa vel luto operta, magno in numero plerumque apparent puſtulae.

Ubi ſudores ſunt excitati, vel vi febris vel ope medicamentorum ſtimulantium *, idem accidit: Nam videmus numerum eſſe ratione febris; et ubi magnopere ſaevit, ut antea dictum eſt, vel confluunt, vel magno in numero ſunt puſtulae.

Verisimile videtur, materiam varioloſam, omni in corporis humore contineri et evehi, et non tantum in materia Sanctoriana, ſed etiam quoque in halitu; nam hominibus hoc morbo laborantibus olfactu perſpici poteſt; et halitus odorem varioloſum (ſi ita loqui liceat) habet.

Itaque in cuticula denſa, materies quae per illam exire debet continetur, et cutem leviter ſtimulando effuſionem ex ſuis vaſis producit.

Ubi ſudor ſubito erumpit, facile hoc fieri conceditur; nam aër haud copiam tam

* Glaſs.

tam magnam et ſubito emiſſam deferre valet; quare ſub cuticula ſtagnat: Et hoc ex fonte eruptio numeroſa; et varia corporis puncta huic materiei acri ſunt ſubjecta, in unoquoque quorum puſtulae fortaſſe producuntur.

Inde quoque fit, illos ſtragulis multis coopertos meſſem puſtularum habere magnam, atmoſphaera circumcirca formata, et cito materie expleta, et majorem portionem haud continente; itaque quaecunque ad cutem poſtea eſt impulſa, ibi ſtagnare cogitur.

Emplastra vel aliquid ſimile ad eruptionem applicata ſub illis puſtularum numerum habent; nam in inſitione olim uſitata, ubi inciſio parva fuit, et emplaſtrum ſuper impoſitum, infra illud ſemper puſtulae multae vel confluentes apparuerunt; et inde fit, ut empyrici, hoc freti, dicant, ſe quacunque in figura variolas producere poſſe.

Quodcunque perſpirationem in ullam corporis partem dirigit, idem phaenomenon oſtendit;

oſtendit; et hiſtoria aegroti a praeceptore CULLEN celeberrimo diſcipulis impertita plane demonſtrat: viz. Æger erumpentibus variolis aliquo caſu haud in lectum ſe recipere potuit, ſed in lectulo ante focum decubuit; in latere igni proximo puſtulae permultae, in altero perpaucae, fuerunt. Nonne eruptione in partibus ubi ſudor primus fluit incipiente, viz. facie, collo, pectore, etiam quoque probatur?

TEMPORE progrediente, et ſtimulo in cute manente, effuſio indies augmentum ſumit, cuticulam elevat, donec pus formari incipiat, quod e fermento ſui generis lymphae coagulabilis in ſero detentae fit, ut patet experimentis cl. GEBER in Actis Taurinenſibus editis, portione fluidiore reſorpta gradatim areſcunt deciduntque puſtulae.

DE FEBRE RECIDIVA VEL SUPPURATORIA.

AUCTORES magni nominis febrem ſuppuratoriam materiei varioloſae corpore reſorptae

ſorptae attribuunt. Sed haud mihi hoc verum videtur; cum fermentum variolosum, quod per omne morbi ſtadium in omni parte et fluido corporis exiſtit, pabulum febri praeberet; nam, per totum morbum, ſtimulus ſimilis ſimilibus organis eſt adpoſitus: Et multa exempla, morbum ab uno ad alterum dari poſſe, intervallo dierum plurimorum interpoſito poſteaquam ſurrexerit aeger, docent; quod haud fieri poſſet, niſi contagionis pars adhuc in corpore lateret, et perſpiratio, halitus, vel aliae excretiones gradatim exitum darent facilem. Et multo probabilius, ex irritatione in nervos cutaneos oriri; nam videmus, ubi puſtulis numeroſis vel confluentibus corpus abundat, et baſis interſtitiaque rubent, multo ſaeviorem eſſe febrem: Praeterea moleſtia cutis, ſenſatioque tenſionis, inflammationem oſtendunt. HOLWEL, in tractatu de methodo apud BRACHMANOS inſerendi uſitata, illos mira cum diligentia puſtulas aperire, et materiem illis educere, ait, populos illorum ſub curâ hocce in morbi ſtadio a febre non oppugnari;

oppugnari; ſed aliquis dicet, hanc methodum abſorptioni occurrere. Hiſtoriam ab amico meo, D. YOUNG, juvene ingenioſiſſimo, qui medicinam apud Montroſe feliciſſimo cum eventu exercet, mihi relatam hoc in loco proferam.

PUELLA variolis inoculata eruptionem copioſam habuit, praeſertim in faciem, quae tumuit doluitque; ad ſuppurationem febris magnopere accendebatur, puſtulis in faciem apertis, multum mitigata; ſed augeri denuo incipiebat; in genua tunc temporis puſtulae fuerunt, quae hoc augmentum fecerunt ſtragulis irritatae; nam, pure educto, penitus evanuit febris, neque denuo recurrit.

AD hoc confirmandum, quotidie videmus febres violentas ex irritatione fieri, ex vulneribus, &c. Sed de hoc ſatis.

NUNC de morbi ſpeciebus diverſis loquendum reſtat. SAUVAGES variis ex auctoribus tredecim collegit, et in diſcretas et confluentes, benignas et malignas, diviſit; diſcretarum benignarum duas tantum,

tantum, viz. lymphaticas et benignas: Malignarum ſex, viz. complicatas, dyſenteroides, veſiculares, verrucoſas, filiquoſas, miliares.

CONFLUENTIUM unam tantum habet, quam malignis non annumerat. Sed confluentium malignarum quatuor, viz. cryſtallinas, cohaerentes, nigras, corymboſas.

MULTUM dubito anne ſpecies prima revera ſit varioloſa; potius videtur eſſe morbus exanthematicus, lingua vernacula *chicken pox* dictus, cujus deſcriptio a praeceptore noſtro egregio D. GREGORY prolata, omni ſymptomate quadrat: Et ex hoc evenit, quod nonnulli variolis bis in vita affici dicuntur; ſed morbo prorſus diverſo tentantur *.

ANTEA dictum erat, diſcretas et confluentes pendere ex copia tantum materiei ſub cute ſtagnantis; itaque ſupervacaneum erit verbum de his addere; ad malignas properemus.

SAUVAGES

* In praelect. Clin.

SAUVAGES ſpeciem dyſenteroidem habet, quam ex SYDENHAM deduxit; ſed tempore quo graſſabantur magnopere ſaeviebat dyſenteria, viz. anno 1671, et 1672, &c. ut ait: "Variolae quoque "praeter ſolitum hoc quoque tempore "graſſabantur, atque ita pares dyſente- "riis concurrebant, ut haud facile eſſet "dictu quis morbus plures occuparet; "licet, quantum ego conjectando valui, "praevalere dyſenteria adhuc videtur." Nunc omnibus eſt notum, dyſenteriam eſſe contagioſam; et mallem dicere aegrotum uno et eodem tempore morbis ambobus laborare, et hanc ſpeciem diverſam annumerari non debere.

SPECIES aliae ad duas tantum reduci poſſunt, viz. ubi ſigna ſunt putredinis, vel febris lentae: Sed numerus multo major prioris, et vario in gradu; nam in una cito ad ultimum pervenit ſtadium, ut in variolis nigris; in alia vix perſpici poteſt, ut in verrucoſis.

SPECIES

Species quae ſunt moris maligni, quoad puſtulas differunt, nonnullae aqua pene limpida implentur; aliae pure, et aliquando etiam miliares puſtulae ſunt circumſperſae. Differentia materiei in puſtulis contenta fortaſſe pendet ex ſpaſmo diverſo; nam ita poteſt formari, ut partem ſanguinis ad pus efformandum aptam, (viz. lympham coagulabilem), tranſire haud ſinat, et inde purulenta fermentatio haud accidit: Hoc phaenomena multis in morbis probabile reddunt, ubi ſanguinis pars fluidior e corporis carcere evadit, dum ſpiſſior cohibetur, ut in hyſteria, ubi urina limpida, ſuavis, vel etiam inſipida, fluit; ſed, finito paroxyſmo, ſedimentum deponit; quoque in febribus, premente paroxyſmo, multum ſedimentum habet; ſed finito, eadem ac in ſanitate devenit.

Supra diximus, ad ſpecies duas reduci poſſe variolas malignas; ſed quoniam putredinis ſigna ambabus nonnullo in gradu apparent, melius erit in cryſtallinas

et purulentas dividere: Prior in puſtulis ſerum tantum continet; poſterior, pus. Ad priorem pertinent veſiculares, ſiliquoſae, cryſtallinae; ad poſteriorem, complicatae, miliares, cohaerentes, nigrae, corymboſae. Differentia inter ſiliquoſas et cryſtallinas eſt, quod pars fluidi eſt reſorpta, et puſtulas quaſi aëre plenas relinquit. Purulentae inter ſe diſcrepant, quod in nonnullis puſtulae majores varie aggregatae vel majori putredine, (ut in variolis nigris), vel puſtulis miliaribus comitantibus, (quae regimine peculiari produci poſſunt), et petechiae, quae et in purulentis et cryſtallinis obſervantur; et criri poſſunt vel ex ſolidorum debilitate, quae huic effuſioni locum praebet, ut, ubi parvae et rubrae ſint maculae, et ex humorum putredine, ubi majores et nigrae ſunt: Sed haec quoque ſolida debilitat. Putredo vera raro in variolis occurrit, et, niſi in variolis nigris, vix indicium verum. In his conjungitur febris putrida; nam, ex SYDENHAM, SAUVAGES hanc habet

ſpeciem,

ſpeciem, ſecundum quem dyſenteria adhuc manebat; et quicunque PRINGLE conſulit, videbit febrem malignam et dyſenteriam valde eſſe affines; nam dyſenteriam, ubi mortem infert, ſymptomata putredinis ſaepe comitantur: Eodemque anni tempore, viz. aeſtate, eſſe frequentiores, graviores, periculoſioreſque. Et probabile eſt, hac in ſpecie eſſe febrem malignam; nam apparuerunt ab anno MDCLXX, nonnunquam ſaeviores, nonnunquam mitiores, per plures annos, et in autummo peſſimis ſymptomatibus ſtipantur, ut SYDENHAM ait; "Variolae "praecedentis conſtitutionis, poſt priores "annos duos, puſtulas emitterent mi- "nus ac minus nigricantes, majores in- "ſuper ſenſim et majores, donec ſub "finem anni MDCLXXIII pro ſpeciei "ratione mites eſſent et benignae; jam "recepta priſtina feritate, et peſſimis "ſymptomatibus ſtipatae revertebant. In- "valuit haec variolarum ſpecies autum-

"no

" no proximo, longius etiam in hyeme " excurrens, quae ſolitis calidior multo " eſſet, morbo favebat; appetente vero " tempeſtate frigidiore, imminuta eſt, fe- " bre jam graſſante, mox locum cedens*." Ex hoc quoque patet, quia tempeſtate morbis putridis inimica ceſſavit.

De verrucoſis, quam ſpeciem ex Mead ſelegit, ſymptomata eruptionem praecurrentia vel comitantia haud ſunt delineata, et dubito an inter malignas an benignas locari oporteat; ſed quoniam per longum tempus manent puſtulae et areſcunt, benignas potius quam malignas vocarem; et inde venit, ut poſt purulentiam, partibus fluidioribus in corpus receptis, vel per cuticulam effuſis, diu haereſcant; et tametſi ſint nigrae, tamen hoc haud eſt putredinis ſignum; nam nulla eſt nota vel ſanguinis craſios reſolutae, vel ſolidorum debilitatis; et Mead haud docet

* Syd. conſt. epid. ann 1674.

eſſe

eſſe nigras, et SAUVAGES tantum dicit, " quae ſiccatae nigreſcunt."

RATIONEM reddere omnium ſymptomatum quae in variolis contingunt, fines hujuſce opuſculi longe tranſiret; quia ad ſymptomata febrilia explicanda, quae nunquam deſunt, neceſſe erit dicere de ſpaſmo, variiſque ejus cauſis, quae a Doctore CULLEN praeceptore hac in academia ingenioſiſſime eſt explicata, et in manibus multorum condiſcipulorum adhuc ejus opinio reperienda eſt; at hyeme ſequente omnibus pene erit nota: Itaque de paucis aliis tantum loquar. Haud neceſſe erit de dolore pectoris, renum, &c. dicere, quia plerumque eſt ex horum organorum inflammatione, et niſi ubi febris eruptiva eſt inflammatoria, et multa cum vi ſaevit, haud ſeſe manifeſtat.

SALIVATIO ex glandulis faucium materie varioloſa ſtimulatis devenit, quae actionem vaſorum adauget, et ad majoris ſalivae copiae ſecretionem ciet. Tuſſis quoque fit ex materie ſimul cum bronchiae

chiae glandulis muco evecta, quae hunc motum convulſivum gignit, et nonnunquam inflammationibus, tuberculis, phthiſi, variis pulmonum morbis, viam parat; etiam tuſſes quae longe poſt morbum manent originem ex hac ducunt; nam, ubi aliqua organa motibus ullis fuerint uſitata, ſtimulo aliquo applicato, cauſa ablata, haud ſtatim deſinit effectus; quia noſtro ſyſtemati uſu hi motus ſunt familiares, et quaſi pars functionum demum efficiuntur; hoc non ſolum tuſſibus ſed etiam aliis motibus convulſivis accidit. Tametſi periculum erit ne tubercula inducantur, vel ſi tubercula antea pulmonibus extiterint, ne inflammatio illis incidat; tamen ſaepe ſine ullo magno incommodo per plures annos tuſſis ſeſe adjungit, ut mihimet accidit. Nam tuſſicula pene per decem annos poſt variolas permanſit, ſed nunc penitus evanuit.

PTYALISMUS ſubito ceſſans, periculum adfert, duabus ex cauſis; prima ex ſpaſmo

mo revertente, qui oſcula vaſorum excernentium claudit; ſed multo periculoſior eſt alia ex ſyſtematis debilitate, quae facit ut vaſa excernentia ſtimulo materiei per illa tranſeuntis haud moveantur.

TUMORES faciei, manuum, pedumque pendere videntur ex ſeri effuſione; ſubito ſubſidentes, et periculum quod comitatur cauſas agnoſcit, viz. ſpaſmum revertentem vel debilitatem. Prior quarum eſt veriſimilis ex analogia; quia ad ingreſſum febrium intermittentium, vel ad ſpaſmi formationem, corpus decreſcit, et ſi tumores ulla in parte ſint, idem faciunt; ſaepe etiam ſigna ſunt debilitatis quando hoc occurrit. Ex debilitate quoque puſtularum ſubſidentia oritur, et inde periculum; nam auctoribus ex omnibus, debilitas, lethales hoc in morbo effectus plerumque, producit, uti PRINGLE notat: "Men who have been "weakened by other diſtempers or cures, "as by ſalivation, are more ſuſceptible "of the infection, and run more riſk".

Porro,

Porro, "Thoſe who are taken into crowd-
"ed hoſpitals with the ſmall-pox, how-
"ever good the kind may be, and how-
"ever well they may get through the
"firſt and ſecond ſtages, generally fall
"into this fever and die *." Hicce morbus multum inciſione mitigatur, et adhuc ſub judice lis eſt unde oriatur. Nonnulli dicunt eſſe ex copia in corpus recepta; ſed hoc haud fieri poteſt, quia pro fermento in fluidis agit; et ſi plus vel minus materiei morbificae eſt adhibitum, eandem quantitatem in fluidis gignet: Neque varii modi perficiendi multum valent. Sed, in primis cauſae occaſionales, quae lethalem reddunt hunc humani generis hoſtem, inciſione evitantur, praeſertim timor; nam antea dictum omnibuſque notum eſt, animi anxietatem, vel formidinem, morbi vires augere. Neque enim uſu immodicae veneris ac Bacchi fruuntur, nec exercitiis nimis violentis

* Page 62.

lentis utuntur, ſed regulariter vivunt; et perraro, niſi rebus urgentibus, hominibus ex aliis morbis convaleſcentibus, vel debilitate fractis, arte variolae adhibentur, ſed abſtinentia a liquoribus fermentatis, carne, multum ad diatheſin phlogiſticam minuendam valet. Medicamenta quoque, quae dantur, paululum proſunt: viz. mercurialia antimonialiis conjuncta, tametſi parva quantitate, ſpaſmi formationi obviam eunt, et perſpirationi Sanctorianae viam faciliorem reddunt, quod, ut antea dictum eſt, copiam puſtularum minuit.

QUONIAM variolae non ſemper eadem habent ſymptomata, ſed variant, perdifficile erit indicationes curatorias inſtituere, quae omni morbi varietati ſunt propriae, ſi ad eruptionem tantum ſpectemus; nam perdiverſae erunt, prout inflammatio vel debilitas comitantur, et ad has quinque reduci videntur, quae oriuntur ex febre comitante, viz.

1. INFLAMMATIONEM mitigare.
2. VIRIBUS, ſi deficiunt, auxilium ferre.
3. PUTREDINI occurrere.
4. FEBREM ſuppuratoriam prohibere.
5. SYMPTOMATA nonnulla levare.

AD primam nihil plus venaeſectione conducit, et nunquam eſt omittenda, praeſertim in febri eruptiva, et ubi delirium dolores pulmonum aliorumque viſcerum premunt; nam tenſionem totius ſyſtematis minuit, inflammationemque tollit. Sed quaeſtio naſcitur, Quo ex loco ſanguis ſit detrahendus. Certe quam proxime parti affectae, ubi adfectiones ſunt topicae; ut, ubi delirium cum capitis dolore adeſt, e temporibus ope cucurbitularum cruentarum, arteriotomiae, vel hirudinum; ubi lateris, e brachio lateris dolentis; vel, ſi ambo dolent, ex ambobus. Etiamſi vero multi docent nihil referre, tamen D. CULLEN credit magni eſſe momenti; nam, ſi dolor partis inflammatae ſit ex vaſis ſanguine turgentibus, et tenſionem partis exquiſite augentibus, quomodo hoc facilius

lius levabitur, quam detrahendis fluidis illis ex vaſis? Quoniam injectiones in corpore defuncto factae docent, vaſa inter ſe per anaſtomoſin communicari: Et patebit ex hoc, ſanguinem vaſis vicinis eductum ad tenſionem minuendam multum tendere; neque praxis adverſatur. Nam VAN SWIETEN hiſtoriam tradit duorum juvenum, ſimili fere aetate et temperamento gaudentium, pluritidis ſymptomatibus pene aequalibus correptorum: Ex uno, ſanguis multo cum levamine ex brachio fuit detractus, et cito poſt ſurrexit; in altero, ex pede, parvo cum ſucceſſu; et demum quoque, in hoc venaeſectione in brachio adhibita, cito ſanitatem recuperavit *.

HISTORIAM aliam, a D. ARNHOLD, qui paucis abhinc annis medicinae honoribus hac in Academia donatus eſt, editam, haud omittam. Juvenis, qui ſaeviſſimo dolore lateris utriuſque laboravit, e brachio dextro

* In aph. Boerh. vol. 3.

dextro unc. x. ſanguinis amiſit, qui tunc aiebat, ſe nullum dolorem in latere dextro ſentire; latus vero ſiniſtrum adhuc ut antea ſaeviebat; ſed brachii ſiniſtri vena pertuſa, dolor quoque hujus lateris mitescebat *.

Post venaeſectionem emplaſtra epiſpaſtica in ſpaſmo ſolvendo, etiam in morbis inflammatoriis, poſt debitam evacuationem, multum laudis merentur.

Emetica quoque: Sed ante omnia tart. emet. refracta doſi datum palmam arripit; nam non tantum officium emetici edit, ſed poteſtatis nervoſae diſtributionem aequalem promovet, alvum laxat, et ſudori levi favet. Pediluvium quoque eſt ad ſudorem levem eliciendum efficax. Nonnulla alia multum huic indicationi proſunt, praeſertim ſi delirium et dolor capitis premant, viz. ſono luceque evitatis.

Calor et medicamenta ſtimulantia ſunt cautius cane et angue amovenda; nam inflammationem mirifice augent.

Ad

* Diſſert. inaug.

2. VIRIBUS deficientibus auxilium ferre.

ANTEA diximus, ſymptomata, quae hoc oſtendunt, huic morbo propria; praeterea illa febri lentae communia, viz. puſtulas ſubito recedentes, facies manuſque ſubſidentes, &c. In morbi initio, ſi febris lenta apparet, tart. emet. magnopere ad ſpaſmum ſolvendum conducit, ut etiam epiſpaſtica; ſed, ſi ſupervenit debilitas, morbo progrediente, recurrendum eſt ad cardiaca, quorum vinum rubrum eſt praeſtantiſſimum, teſtante GREGORY praeceptore egregio.

CORTEX peruv. quoque honorem poſtulat, praecipue in puſtulis recedentibus, magnopere robur ſyſtematis auget.

EPISPASTICA carpis pedibuſque applicata, ubi haud tument, (quod antea dictum eſt debilitatis ſignum), plerumque ſtimulo tumorem augent. Cataplaſmata acria idem perficiunt.

OPIUM quoque haud eſt ſine gloria, modica in doſi, ſi aeger eſt inſomnis; tametſi inflammatio parva appareat, opium, ſoporem

ſoporem inducendo, plus boni quam mali adfert; et SYDENHAMUS dicit, ſe vidiſſe ptyalyſmum redintegratum uſu opiatorum.

3. PUTREDINI occurrere.

MEDICAMENTA antiſeptica omnia huic indicationi ſunt apta; et adeo ſunt multa, ut, deſcribere tantum, opus multo majus hoc impleret. PRINGLE dicit, omnia adſtringentia eſſe antiſeptica; ita hic pauca tantum commemoramus. Cortex peruv. locum tenet primum, et ſaepe ultra ſpem aegrotum quaſi faucibus Orci rapit, doſe quam ſtomachus ferre poteſt adhibita, et frequenter repetita: Sed, quoniam pulvis moleſtiam, magna in copia deglutitus, ſtomacho inducit, extractum darem; quia minori in maſſa majorem tenet poteſtatem; et DE HAEN, in febribus malignis, ubi petechiae, urina ſanguinolenta, malum pene omne omen, adſtabant, feliciſſimo cum eventu dedit, etiam ad unciam in die.

ACIDA

Acida varia quoque magni ſunt uſus, praeſertim vitriolicum et vegetabile. Acidum nitroſum et muriaticum haud tam proprie dari poſſunt, quia tuſſim excitant; itaque raro a medicis exhibentur. Potus acido vitriolico acidulatus pro potu communi dari debet, ad tuſſim levandam, et omnia alia quae vires augent. Si delirium premat, pedes manuſque foveantur aqua tepida. Alvus ſtipata omni hujus morbi ſtadio nocet; nam, tametſi nonnulli purgantia condemnant, foeces in inteſtinis retentae ſtimulant, et varia mala, ut inflammationes inteſtinorum, diarrhoeam, inducunt; et Freind multum in febre ſuppuratoria laudat. Certe diarrhoea vires ſyſtematis diminuit; igitur evitanda: Sed alvi depoſitio bis vel ſaltem ſemel in die non tantum non obeſt, ſed eſt neceſſaria; et ubi febris eſt generis inflammatoriae, ſales neutri, refractis et repetitis doſibus, tamarindi, caſſia, manna, vel clyſmata ſale communi praeparata, hoc adjuvant. Vel, ſi febris lenta vel

putredinoſa

putredinoſa adeſt, ubi periculum a diarrhoea, clyſmata ex juſculis tepidis, vel etiam ex aqua tepida ſola, uſurpanda.

DIARRHOEA caute, et non niſi adeo vehemens ut ſyſtema debilitet, eſt ſiſtenda; huic officio abſorbentia, clyſmata cum opio, ſunt propria. Si delirium vel coma his in ſtadiis ſuperveniunt, ſemicupium vel fomenta, pedibus per horam vel plus applicata, ſaepe levamen adferunt.

4. FEBREM ſuppuratoriam prohibere.

AUCTORES omnes conſentiunt, hac in febre ſummum eſſe periculum; itaque ſumma vi praecavendum; quod puſtulas aperiendo perficitur, vel ſaltem ea mitigatur; ſupra diximus Brachmanas hoc facere, et nunquam hanc febrem experiri. Puſtulis apertis, pus educatur et abſtergeatur panno linteo, aqua tepida, et lacte madido, et repetatur pro re nata.

5. SYMPTOMATA nonnulla levare.

ALIQUANDO ſaliva adeo eſt ſpiſſa ut vix ore exſpui poſſit; vomitoriis mitioribus, gargariſmatibus, levetur.

OCULI

Oculi nonnunquam puſtulis claudun-tur, vel puſtulas in globum habent: Hic neceſſe erit pus educere, et aqua roſa-rum vel lacte tepido frequenter lavare.

Tussis quae poſt morbum manet opi-atis cum cubitum eatur deſumptis tol-litur.

Per totum morbum diaeta ſit tenuis, potus acidulatus, et aeger ſaepe teneat in ore fructus aurantiorum vel limonum ad ſitim compeſcendam. Magni eſt mo-menti aërem eſſe purum et frigidiuſcu-lum; ad hoc, niſi temperies eſt frigida, fe-neſtrae ſaepe per diem ſerventur apertae. Nec parvi eſt mundities; quare lodices et ſtragula mutari frequenter neceſſe erit; nam, cum pure ſordida et rigida ſint, non ſolum aërem ipſum corrumpunt, ſed aſpe-ritate quoque ſtimulant, et febrem mo-leſtiamque cutis adaugent. Æger lecto haud ſe contineat, niſi res poſtulant, ne-que in domo; ſed ſine ullo incommodo, praeſertim aeſtate, et ubi haud pluit, ſub dio manere licet; nam hoc modo aëre

puro fruitur, et perſpiratio cito evehitur. Potus erit frigidus, vel ſaltem frigidiuſculus; SYDENHAM cereviſiam tenuem laudat.

RHASES aegrotos in aqua frigida lavare per medium diem juſſit; ſed hac in regione, ubi homines ad morbos inflammatorios ſunt procliviores, vix tuto fieri poteſt.

FINIS.